

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ ELEGIACA,

Ad

*Nobilem iuxta ac Consultissimum*

DN. IOANNEM  
THEODORUM PHYLDIUM,

U. I. D. eximium, &c. Dn. Fautorem  
& Compatrem honorandum, Amicum  
integerrimum,

*Laudatissimæ Matronæ*


ANNÆ-APOLLONIÆ  
VVACHSMVTIN,

Uxoris desideratissimæ, quæ postridie Pen-  
tecostes d. XXI. Maii, Anno M. DC. XXXII. in Christo Serva-  
tore suo pie obdormit, immaturum ex hac vita excessum,

acerbius lugentem, testificandæ *συμπαιδείας*

ergo scripta à

M. HENRICO HIRTZVVIGIO, Princ. Aul.  
Butzbacensis Pastore, & Ecclesiarum adiunctarum  
Inspectore.



A N N O

---

M. DC. XXXII.





Προσφώνσις Elegiaca.

**S**to modus lachrymis. Superas migravit ad au-  
las

UXOR, & æternâ membra quiete levat.  
Ad sponsum proventa suum, quâ dixerat hora,  
Prandia perpetuis carpit agitque modis.

Mirari factum & memorare nepotibus illud  
Fas est; non sterili contumulare solo.

Iam, *Pentecoste*, Sacri Sacra Flaminis ibant,  
Queis in Apostolicum Gratia fusa gregem;

Quando Patris summi in Mundum cantantur Amores,  
Ipsius & nobis Filius ipse datus:

Cum *Tua* fracta satis diuturno *Costa* labore,  
Hymnis & Verbo latificata Dei,

Prandendi circa tempus, quo fercula mensis  
Apposita, ægrotæ præbita parsque *Tuæ*,

Eia repente Tibi, quasi morte soluta, reclamans  
*Nuptiæ*, ait, *sunt ad quas ego ritè vocor.*

*In superis locus est. Nemo vestigia firmet:*

*Salva gradu solo iam solidoque fruor.*

*Hinc, procul hinc epulas. Vestrum est concedere pransum,*  
*Et positis vires nunc reparare cibis.*

*Me vero, niveæ Paranympus veste, vocatam*  
*Deducet fidà in prandia celsa manu.*

Talibus exultat, studioque ignescit eundi,  
*Non mihi vos socii nunc, ait, una vocor.*

Provocat interea fessas in gaudia vires:

Tum variis animum mulcet, & inquit ovans.

*Quam Servatoris vox hac mihi pectora circum  
Ludit! & ambrosio perlinit ora thymo!  
Sic sic dilexit Mundum Pater altus IOVA,  
Filiū ut unigenū fractus amore daret:  
Hunc quicumque fide complectitur, extet ut ævum  
Salvus in æternum, nescius exitij.*

*His agitata modis morbos dulcissima coniunx  
Sopiit, excelsè perpetienda ferens..*

*Hinc adeo magis est, de quo lætabere, PHYLDI:  
Sunt, non immemori quæ bona mente colas.*

*Namque videns, vivus, spectacula Flaminis almi  
Vidisti, Audisti, quid? tetigisse manu.*

*In Pentecostes potuisti Numina festo.*

*Quæ credenda aliis, visa fuere Tibi.*

*Tam non ullus apex divini fallere verbi,  
Fidos ulla animos ex ratione potest.*

*Nec satis hoc magnum. Quota, cum perquireret Uxor,  
Post, pro se, publica religione, preces:*

*Et responderes, quod Tertia protinus Hora*

*Instet, iam properat iam Paranympus, ait,  
Me deducturus. Quarta cœnabitur Hora.*

*Ne quis, quando venit, me neget esse domi.*

*Quarta, quod admiror, quam primum audita, recedit*

*Suspirans leviter Spiritus, Astra petit.*

*In mediis precibus. Postquam ipsa precata rogatis*

*Annuit, & claro credita munit AMEN.*

*Exitus ô felix! albo ô signanda lapillo*

*Quarta! quid hac Quartâ faustius esse potest?*

*Quis non exoptet tantâ vice claudere vitam?*

*Et vitam æternam morte docere sua?*

*Syr. I. v. 13. Nempe Deum quicumque timent, his morte sub ipsa*

*Est bene, divinū cedere nescit Amor.*

*Hæc uxor CATHARINA sua me morte docebat:*

*Iam Tua persimili nos ratione docet:*

Multum

725.

Multum hæc digna satis memoratu exempla perenni,  
Inculcabo meis, ingeminabo mihi.  
Tu quoque seposito instaurabis gaudia luctu,  
UXOR, VISA TIBI MORTUA, VIVA MANET.

---

*Apocal. cap. 19. vers. 7 8 vnd 9.*

**D**IE HDEHZEZE des Lambs ist kommen / vund sein  
Weib hat sich bereitet. Vund es ward ihr gegeben sich anzuz  
thun mit reiner vnd schöner Seyden. (Die Seyden aber ist  
die Gerechtigkeit der Heiligen.) Selig sind die zum Abendmal  
des Lambs beruffen sind. Dis sind warhafftige Wort  
Gottes.

---

## Apostrophe

*Ad matrem defunctam optumam*

IOANNIS ANDREÆ  
P H Y L D I I.

**E**Rgo etiam repetis patriam, *carissima mater,*  
Et moriens tristi linquis in orbe tuos.  
*Heu mihi* quam nimium matura morte perempta  
Occidis, auxilio deseris atque tuo!  
Sed nihil efficiunt *gemitus*, tristesque *querelæ*,  
Nilque iuvant *lachrymæ*, *carmina*, *verba*, *dolor*.  
Non poterat flecti duri violentia fati,  
Parceret ut vitæ mors truculenta tuæ.

A 3

Omnia

Omnia deficiunt, succumbunt omnia fato,  
Mors ruit, & nullam fert inimica moram.  
Nunc tua membra, licet tumulo claudantur inani,  
*Mens tamen aetherea sede recepta viget.*  
Est tibi parva quies, nostros fortuna labores  
Versat adhuc, variis insidiosa modis.  
Mox fruimur lætis, mox rebus vivimus arctis,  
Inque vicem ponit casus uterque rotam.  
Plura dolor prohibet, *salve carissima mater,*  
*Inque beatorum pace quieta vale.*

---

Epitaphium  
ANNÆ- APOLLONIÆ  
VVACHSMVTIN,  
coniugis

Dn. JOANNIS THEODORI PHYL-  
di, l. V. D. amatae.

**A** NNA sub hoc tumulo placide *Appollonia* dormit,  
*Octo lustra, annos, vixit, at adde duos*  
*VVachsmutin*: qualis fuerit pietate fideque,  
Quo vultu? brevibus dicere nemo potest.  
*Cara Deo, dilecta viro, laudata per urbem,*  
*Omniobus ob fidam munificamque manum,*  
Quam pudor & probitas, blandique modestia vultus,  
Et veræ ornavit religionis amor.  
*Vnica cura fuit soli placuisse Tonanti,*  
*Nilque habuit pura religione prius.*

Nocturnā versare manu, versare diurnā  
 Biblia, divinū, sacra se lebat, opus.  
 Quā duce, iam moriens, mortem non sensit acerbam,  
 Visa soporifera fessa quiete frui.  
 Quod dederat corpus, mater sibi terra recepit,  
 Spiritus in coelum, venerat unde, redit.  
 Da nobis bene posse mori, da vivere recte,  
 Si dabis hac nobis, omnia, CHRISTE, dabis.

Psal. 1. vers. 2.

**W**ol demer/ der hat Lust zum Gesetz des HERRN/ vnd  
 redet von seinem Gesetz Tag vnd Nacht. Dann/ 1. Tim.  
 4. vers. 8. vnd 9. die Gottseligkeit ist zu allen Dingen nützlich/ vnd hat  
 die Verheissung dieses vnd des zukünfftigen Lebens. Das ist se ge  
 wißlich wahr/ vnd ein thewer werthes  
 Wort.

F I N I S.

